



Dissertatio historico-juridica inauguralis de dominii ademptione, utilitatis publicae causa

<https://hdl.handle.net/1874/315541>

DISSERTATIO HISTORICO-JURIDICA INAUGURALIS

DE

DOMINII ADEMPTIONE, UTILITATIS
PUBLICAE CAUSA.

8.

DISSERTATIO HISTORICO-JURIDICA INAUGURALIS

DE

**DOMINII ADEMPTIONE, UTILITATIS
PUBLICAE CAUSA,**

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI JOHANNIS MULDER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. ET MED. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO.

Pro Graui Doctoratu,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS
ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

HERMAN JOSUA VAN LENNEP,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XVII MAJI A. MDCCCLIII, HORA I.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD F. MULLER.

1853.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA HEREDUM H. VAN MUNSTER ET FILII.

MATRI CARISSIMAE SACRUM.

Cui potius, quam Tibi, carissima Mater, hasce
studiorum primitias qualemque sunt, offeram,
cum Patri venerando illa consecrare vetuit Deus
O. M. Tibi enim notum est, quam mihi gratum
fuisset officium, hunc libellum amborum Pa-
rentum venerandis nominibus ornare, pietatis
grati filii, erga Te, carissima Mater, testimo-
nium, neque minus erga Patrem amantissimum,
Patriae suae grande decus, filiorum autem
magnum virtutis exemplum; sed Deo O. M.,
cui laus sit in aeternum, aliter visum est.

Tibi ergo soli, optima Mater, hoc meum
opus, qualemque est, oblatum, ut benevole
accipias, rogo; scio equidem etsi, stadio Aca-
demico decurso, Studiosi nomine defunctus,
Doctoris titulum appeto, illud me minime de-
cere, cui tot discenda supersint, antequam Pa-
triae prodesse potero; hoc autem me cupere, ut
Tibi palam declarem supervacaneum videtur,
quae ipsa tamdiu testis fueris exempli Patris
clarissimi, qui tot variisque muneribus, in vita
publica non minus quam in privata, Patriae,
Literis, Suis denique optime consuluit. Tale
exemplum ut sequar aliquando ut mihi concedat

Deus O. M. ex intimo pectore precor, Teque nobis servet in columem, ut juveni, Paternum amorem desideranti, Materno succurras.

Si autem lege coactus, sermone Te alloquor, Patri quidem familiari, quod testantur Carmina, perennia illa ingenii ejus testimonia, mihi autem difficilimo ac plane incognito, pietatem meam factis probare conabor, quando quidem verba me deficiunt, quibus gratum animum protanto amore, quo me inde ab infantia complexa es, ostendam.

Argumentum quaerenti, de quo dissertationem scriberem, ad summos in Jure honores adipi-

scendos, cum jam nullum mihi satis aptum
videretur, vir Clarissimus M. DES AMOBIE VAN
DER HOEVEN suasit ut »Dominii Ademtionis
Historiam" tractarem; quod si mihi placeret
Argumentum, Collegam ejus Clarissimum, DE
BOSCH KEMPER adirem, ut consilio me adju-
varet. Argumentum autem mihi, qui Historiae
studio prae ceteris delecter vel eo placuit, quod
occasione praehleret, tantum Virum cognoscere,
qui tamdiu, Curiae Hollandiae Septentrionalis
Consiliique Urbani ornamentum, nunc Athenaei
nostrri Professor, Jus Publicum, quod scriptis
illustraverat, pari cum laude docet; neque spem

meam sefellit tantus Vir, qui, quamvis vix
suscepti Muneris labore impeditus, nunquam
mihi, saepius fortasse quam deceret, Illum ade-
unti, ope, consilio, libris defuit; pro quibus
beneficiis Tibi gratias agere, Clarissime DE BOSCH
KEMPER, jucundum est officium.

Tibi vero Clarissime VAN DER HOEVEN, quem mihi
contigit inter primos discipulos docentem audire
vel publice in Collegiis in Serie lectionum in-
dicatis, vel inter privatos parietes, Practico Col-
legio praesidentem, quo omnibus Juris studium
amare eoque delectari, exemplo cogis, nescio
quomodo gratias referam; hoc tamen verum

affirmabo, si Juris studium mihi amoenum est,
hoc Practico illi me debere Collegio.

Neque minus Vobis, Clarissime DEN TEX et
VAN HALL, quorum nomina triginta annorum
gloria conjunxit, gratias agere cupio. Tibi
Clarissime DEN TEX pro egregiis scholis, quibus
nunc Studiosa Juventus, adversa valetudine
Tua destituitur, quam spero fore ut aestas pro-
xima sublevet, atque ita denuo Jurisprudentiae
restituare; Tibique Clarissime VAN HALL, Promo-
tor aestumatissime, qui mihi tametsi non conti-
gerat inter tuos discipulos recenseri, tamen eadem
benevolentia adfuisti, ac si discipulus Te audissem.

De ipso Specimine, pauca habeo, quae addam.
Ne hic quaerat Benevolus Lector, si quem inveniam, Doctrinae expositionem vel legis, sub qua vivimus, criticam disquisitionem; ea enim alii relinquere, mihi suaserunt Argumenti Auctores; neque putet quisquam me hic polliceri, me post Promotionem his operam daturum; talia enim facilius promitti, quam praestari, sane probationis indigere non videtur. Si quis autem animadvertis ad titulum Dissertationis quaerat, quid sit »Ademtio Dominii,» atque miretur cur vocem »Expropriatio» non usurpaverim, respondeo me non esse, qui nova vocabula

inducere ausim in linguam, qua semper cum
veneratione quadam uti didici; cum autem apud
scriptores nunquam vocem invenerim, nostro *Ont-
eigening* aequalem, verbis illis, quae satis bene
Latine dicuntur, rem ipsam commode significari
posse judicavi.

ARGUMENTI CONSPECTUS.

INTROITUS.

- | | |
|---|----|
| § 1. De juris quaesiti ademtione utilitatis publicae causa..... | 1. |
| § 2. Quo jure ea potestas Principi concedatur..... | 2. |

PARS PRIMA.

HUJUS JURIS NOTIO APUD VETERES.

- | | |
|-------------------------------|----|
| § 1. De populis Orientis..... | 5. |
| § 2. De Aegyptiis..... | 6. |
| § 3. De Hebraeis..... | 7. |
| § 4. De Graecis..... | —. |
| § 5. De Romanis..... | 9. |

PARS SECUNDA.

HUJUS JURIS HISTORIA IN PATRIA NOSTRA, USQUE AD RERUM CONVERSIONEM ANNO 1795.

- | | |
|--|-----|
| § 1. Quomodo res sese habuerit in Patria nostra..... | 15. |
| § 2. Statutum Philippi I Burgundiae Ducis | 17. |
| § 3. Varia statuta tempore liberae reipublicae edita..... | 19. |
| § 4. Defenditur Guilielmus I contra eos, qui dicunt eum imperio
eminenti abusum fuisse..... | 22. |
| § 5. Recensentur scriptores e Patria nostra, qui de illo jure
scripsernant..... | 25. |

PARS TERTIA.

DE LEGIBUS HUJUS AEVI.

§ 1. Jus adimendi dominii utilitatis publicae causa in Francia ante rerum conversionem , seculo 18 exeunte.....	27.
§ 2. Leges et constitutiones in Francia latae inde ab anno 1790 , usque ad nostram memoriam.....	28.
§ 3. De legibus Patriae nostrae.....	32.
§ 4. Lex anni 1810 non abrogata est lege fundamentali anni 1815. 34.	
§ 5. De articulo 525 Codicis Civilis nostri.....	36.
§ 6. De lege anno 1841 lata.....	—.
§ 7. Novae legis effectus ; recensentur quidam libelli.....	39.
§ 8. Legis fundamentalis revisio.....	42.
§ 9. Legis anni 1851 mense Augusto latae expositio.....	48.
§ 10. Delegatorum sententiae de nova lege.....	52.
§ 11. Administrí regí responsio ; deliberationes de nova lege , cui suffragantur Ordines.....	54.

INTROITUS.

§ 1.

Apud omnes populos, praeter incultos, jussu principis opera publica facta esse, quae ad finem perducta, non solum certis in civitate civibus, sed toti populo saluti erant, historia satis ostendit. Hominibus autem, iis etiam quorum maxime interest ut res succedat, perendie vidimus difficulter persuaderi posse, antequam opus peractum sit, exitum certum non solum ipsis sed civitati profuturum. Hi quum operum utilitatem increduli cavillentur, non sapiunt antequam prosper operis successus necessitatem et utilitatem iis ostenderit: ita autem formula recepta; „numquam dubitavi quin succederent,” aliorum jocum effugere conantur. Neque tamen illos tam molestos censeo, quam ipsos aedium amovendarum aut agri occupandi dominos, quorum insatiabilis cupiditas saepius vehementer nocet saluti publicae; dominio nihil sanctius quum omnes agnoscant et nuper probaverit clarissimus vir THIERS in

opere praeclaro: „*la Propriété est le Droit,*” rogare possumus num Magistratui, juris tuendi gratia gladio cincto, liceat jus quaesitum civibus auferre, quando necessitas vel utilitas publica hoc postulat; et respondemus cum omnibus scriptoribus de eo argumento agentibus, hoc Principi licere, ea lege, ut damnum de publico sarciat illis qui suum amittunt.

§ 2.

HUGO GROTIUS in opere suo, *de jure Belli ac Pacis*, libro III. C. 20. § 7. tali modo de ea re disputat:

„Alibi diximus, res subditorum sub eminenti dominio „esse civitatis, ita ut civitas, aut qui civitatis vice „fungitur, iis rebus uti, easque etiam perdere et alienare „possit, non tantum ex summa necessitate, quae pri „vatis quoque jus aliquod in aliena concedit, sed ob „publicam utilitatem, cui privatas illi ipsi cedere vo „luisse censendi sunt, qui in civilem coetum coierunt” et libro II. cap. 14, § 7. „Sed ut id fiat ex visuper „eminenter dominii, primum requiritur utilitas publica; „deinde, ut si fieri potest compensatio fiat ei, qui suum „amisit ex communi.”

PUFENDORFIUS (1), eidem opinioni adhaerens, necessitate sola subditos teneri, ut bonis suis civitatem salvam praestent, putat; ita tamen ut postremum ne-

(1) Vid. PUFENDORP. *De jure Naturae atque Gentium* lib. VIII. cap. V. § 7.

cessitatis gradum non exigat, BYNKERSHOEKIUS (1) vero utilitatem in necessitatem saepius incidere, neque facile ab illa distingui posse animadvertis, rationem idoneam apud JAVOLENUM (2) invenit, etiam solius utilitatis publicae causa, hoc jus Principibus concedendum esse. Vicinum proximum viam praestare debere, ibi videmus, non tam publicae necessitatis, quam utilitatis gratia. Ac si rem bene attendimus, videbimus, utilitatem satis idoneam esse causam, cur cives obstrin-gantur ea dare, quae violare nefas est. Vivunt enim homines in societate, ut tuti sint suasque animi ingenii que dotes ut possunt excolant, magistratusque sibi imponunt ad libertatem, bona, vitam tuenda; sed tunc etiam quisque civis ea praestare debet, quae civitatem tueri possint; sic vitae periculo civitatem contra hostes defendat, tributa solvat, ingeniique sui dotes pro patria exerceat, et si necesse est fundos cedat, non solum ad damnum commune arcendum, sed ut bonum inde publicum oriatur; quod nisi fecerit, cogendus (3). Sed eodem jure, bellum indicitur, pax pangitur, foedera ineuntur, tributa et vectigalia imperantur, subditi eorumque bona in solidum obligantur, quin et occupantur res subditorum si ita visum est Principi. Et nihil refert ea Principis potestas uni soli an pluribus tributa sit, ut in civitatibus Monarchia tem-perata fruentibus, vel in Rebus publicis, quum res

(1) Vid. CORNELII VAN BYNKERSHOEK. Quaestiones Juris publici lib. II. cap. 15.

(2) I. 14. § 5 D. Quemadmodum servit. amitt.

(3) BYNKERSHOEK. I. c.

eadem remaneat. Hanc autem potestatem supremam Principis, melius vocari „*Imperium eminens*” ut BYNKERSHOEKIUS hac in re THOMASIUM (1) secutus animadvertisit, quam „*Dominium eminens*” plane iis assentior, nam ut dicit (2) SENECA: „*Omnia rex Imperio possidet, singuli dominio.*”

Omnibus autem perspicuum est, ex eo jure gravissimas oriri posse quaestiones; rogari enim potest, quando hanc potestatem exercere Principi liceat; an omne damnum resarcendum sit; multaque alia ejusmodi, quae attingere solum velim ubi opus erat, sed quae omnia melius invenias descripta apud eos, qui ex industria de eo jure scripserunt. Mihi vero in animo est, hujus juris historiam enarrare atque inquirere quomodo res sese habuerit, primum apud veteres, deinde ac praesertim vero apud maiores nostros, quibus pro viribus enarratis, in parte tertia, de legibus specialibus hujus aevi, dicturus sum.

(1) Vid. THOMASIUM ad HUBERUM de Jure Civitatis: Lib. I. Sect. III. c. 6. § 38.

(2) SENECA: de Beneficiis VII. 4.

P A R S P R I M A.

HUJUS JURIS NOTIO APUD VETERES.

§ 1.

Jurisconsultum neminem dici posse, qui historiae juris studium neglexerit, cum jam docuerunt multi, tum etiam demonstravit vir clarissimus DEN TEX, in Encyclopaediae Jurisprudentiae parte IV; sed historiam gentium Europae sufficere, quaerens num populi Orientales, qui sane primi in societatem civilem coierunt, jus proprium habuerint, nemo nunc affirmabit. Cum igitur apud illos populos urbes munitae, canales effossi, aquaeductus facti sint, antequam Graecia humanitate exulta esset vel Romana civitas exsisteret, inquirendum nobis videtur, quid ibi de juris quae sit ademtione in usum publicum constet; sed si verum est, illos populos jus suum proprium habuisse, dominia ibi sancta fuisse, hujus juris notio non nisi incerta ad nos pervenit, quum desint scriptores ejus temporis de jure agentes. In regionibus ubi omnia ad nutum unius hominis agebantur ipse Princeps se quasi ipsius

regionis, singularumque ejus partium dominum gerere potuit, neque alia iuris vincula agnoscere quam quorum ipse auctor fuisse; sed haec facti magis sunt quam iuris. Neque esse igitur necesse videtur ut exponam, quomodo hanc injuriam commiserint v. c. Persae; quodsi frustra ex hisce quasi nebulis, vetustate densis, lumen petimus, duo tamen exstiterunt populi, ubi certe princeps subditorum bona auferre non poterat, scilicet Aegyptii et Hebraei, de quibus igitur paucis agendum est §§ sqq.

§ 2.

In nullo Orientali populo, Hebraeos si excipias, magis diserte se explicuit juris notio, quam apud Aegyptios. Imperantium potestati se opponebant sacerdotes, juris soli periti, quorum vero castae alia casta militum acqualis quum esset, eorum omnium aequum erat jus. Multa supersunt hujus populi industriae testimonia perennia, in exstruendis operibus publicis, quae tamen, nisi volentibus duabus castis, confidere nequibat rex; terrae quidem sub Josephi administratione reges possessionem acquisiverunt, magnam vero partem sacerdotibus reliquerunt militibusque, rebus bene gestis, concesserunt; iis autem invitis auferre, quae ipsorum esse desivissent, non audebant. Aegyptum aurifodinis aliisque metallis abundasse, fodinas autem regum fuisse, docet DIODORUS SICULUS (1).

(1) DIOD. SIC. III. 12.

§ 3.

Apud nullum Orientis populum libertatis et aequalitatis studium in legibus conspicitur, quale apud Hebraeos. Terra inter 12 tribus divisa erat, et quaeque familia cum suam haberet portionem, iis non licebat fundos in perpetuum alienare, cum anno jubilari agri ad suos dominos reverterent, et emtor, inde a venditionis tempore usque ad hunc annum, non nisi dominus usufructuarius dici aut cum emphyteuta conferri posset. Fundos autem in utilitatem publicam cessos, ad dominos revertisse non credibile est; quia tamen illi qui cesserant, pejoris essent conditionis quam alii, quum terras alias in perpetuum sibi vindicare non potuerint, Principi licuisse eos pretio soluto auferre, nullo loco invenimus et in historia sacra multa loca sunt, contrariae opinioni faventia, ut appareat ex PARALIPOMENON I. 21. vs. 21 sq. REGUM II. 1. vs. 21 et II. 24 vs. 2 sq. Sic memorandus est locus apud EZECHIELEM, cap. 46. vs. 18. „Non accipiet Princeps de hereditate populi per violentiam, et de possessione eorum ut non dispergatur „populus meus unusquisque de possessione sua”, quae satis ostendunt exempla, Principibus non licuisse ea auferre, quae subditorum essent, quamvis necessitas cogeret.

§ 4.

In Laconia terra Lacedaemonis in 9000 partes divisa erat a LYCURGO; filius primigenitus solus patri

succedebat in sortem agri ei assignatam, neque licebat illam alii donare vel testamento relinquere. Lege autem ab EPITADEO Ephoro promulgata, illud Lycurgi institutum de sortibus agrorum conservandis mutatum esse, nobis auctor est PLUTARCHUS. Magistratui igitur nullum fuisse jus fundos illos adimendi, vi gentibus Lycurgi legibus, credendum mihi videtur (1). Atheniensium leges statuebant, ut qui fodinis opes eruere cuperent, a civitate haberent concessionem, quum fodinae (2) bona publica essent. Lege SOLONIS cautum erat, ne Athenienses quantum agri vellent compararent, quod si fecissent, profecto quod modo amplius habebant (3) iis auferebatur; alia lege permissum erat ei, qui depresso in altum puteo decem orgyias aquam non invenisset in suo, ut hauriret e vicini puteo bis quotidie aquam, urna sex chōos capace (4); quae lex lata est ob naturam siticulosam Atticae terrae; unde non mirarer, siccitate anni urgente, si privatorum putei jussu magistratus communes facti essent. Alia lex Draconis inanimata, quorum casu caedes alicujus sit facta, finibus ejicienda esse, quum juberet, exemplum ibi invenimus rei in privati dominio, jussu publico ablati

(1) Vid. vero DELALLEAU. *Traité de l'expropriation pour cause d'utilité publique*, qui alii sententiae favet.

(2) Vid. *Thesaurus Graecarum Antiquitatum* GRONOVII. Vol. IV. *Descriptio Reipublicae Laconum*, UBBONIS EMMII. — PLUTARCHUS in vita Agidis.

(3) Cf. DELALLEAU. O. C. *Introduction* § VI.

(4) SAM. PETITI *commentarius in leges Atticas* Lib. V. Tit. II.

(5) PETITUS Lib. II. Tit. I Finium Regundorum.

atque destructi. Sunt et aliae leges (1), ostendentes, proprietas quamvis in Attica sanctissima haberetur, res privatorum iis ablatas fuisse urgente necessitate publica.

§ 5.

Accedimus nunc ad illos Jurisprudentiae Patres, qui Justitiam, quasi artem ab iis inventam, coluerunt. In Digestis autem frusta leges speciales quaeruntur, in quibus de acquisitione fundorum in utilitatem publicam agatur; quare scriptoribus quibusdam visum est, hanc materiem magis pertinere ad imperium magistratum, qui rempublicam administrabant, Jurisconsultorum autem non fuisse se immiscere rebus, ad jus administrativum quod hodie dicimus pertinentibus; sed Digestis apertis multas inveneris leges de jure administrativo agentes. Credendum igitur est, dicit PROUDHON (2) Romanos, ubi opera publica confienda curaret magistratus, fundos necessarios emisse, sed ubi vendere nolle dominus, iis non superfuisse remedium, quo illum cogerent. DELALLEAU, in opere suo de admitione juris quae sit, dicit: „il est impossible de douter que l'on n'exigeat la cession des propriétés nécessaires pour des travaux publics”; cuius opinioni exempla non pauca

(1) Mercatori Athenensi, qui alie quam Athenas frumentum importaret, frumentum auferebatur. Nemini eorum qui Athenis degebant frumenti plus 50 phormis coemere licebat; si amplius coëmisset, morte multabatur et frumentum ei auferebatur. Vid. PETITUS, o. c. Lib. V. Tit. V. § 3. sqq.

(2) Vid. PROUDHON. *Traité du domaine public*, p. 196.

inveniuntur contraria, PROUDHONI dicta quae probare videntur. Sane Imperatoris injusti jussu, saepius domus et vitam vel invitis subditis ademtos fuisse, non nego; sed nemo NERONIS exemplo urbem incendentis, ut facilius eam ornaret, talia Imperatoribus licuisse, probabit. Quid vero; an nunquam hac de recogitasse Icti censendi sunt? Multum tribuunt scriptores verbis SENECAE (1): „Omnia Rex imperio possidet, sine „guli dominio” nec non sequentibus: „Caesar omnia „habet”; quae tamen nihil probant, quum eodem loco dicat: „Libros dicimus esse Ciceronis, eosdem Dorus „librarius suos vocat; et utrumque verum est: alter „illos tamquam auctor sibi, alter tamquam emtor asserit, „ac recte utriusque dicuntur esse. Utriusque enim „sunt, sed non eodem modo; sic potest T. Livius a „Doro accipere aut emere libros suos. Possum donare „sapienti quod viritim meum est, licet illius sint omnia. In omnibus istis quae modo retuli, uterque „ejusdem rei dominus est, quomodo? quia alter rei „dominus est, alter usus.” Quae dicta si vertas, videbis dominum rei distingui ab eo, qui utitur re; dominos rei ejus usum non habere, nisi ipsa res volente domino iis tradatur. Caesar quamquam omnia imperio possidens, singulorum rebus utendi, jus non habet. Ex mea sententia verba SENECAE igitur, magis probant sententiam, quam secutus est PROUDHON, quam dissidentium. Quid deinde? SUETONIUS (2) in Augusti

(1) SENECA de Beneficiis VII. 4.

(2) SUETONIUS, cap. 56.

vita narrat eum forum angustius fecisse, non ausum extorquere possessoribus proximas domus; cum liber XI cap. 51 aliud nobis praestet exemplum, Magistratis Romanis, tempore liberae Rei publicae, in privatorum bona nullum competitse jus, quamvis id posceret civitatis commodum. Aliud scriptores exemplum in Oratione II contra Rullum inveniunt, ubi L. LENTULUS, Princeps senatus in Campaniam missus, ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret, dicitur renuntiasse, nulla se pecunia fundum cujusdam emere potuisse(1). Talia exempla sufficere credam ad probandum, principium juris, de quo agimus, Romanis ignotum fuisse usque ad priorum Caesarum tempus. Sicunde contrarium censendum est, certe non ex lege unica C. „*de caducis tollendis*“ § 14 ubi LECLERCQ legit: „Quod communiter omnibus prodest hoc privatae utilitati praeferendum (2).

(1) DELALLEAU haec commemorans dicit: Nous devons faire observer que les terres que Lentulus voulait acheter, n'étaient point nécessaires à la république et que c'était en quelque sorte une spéculation que le Sénat voulait faire, toutefois dans des vues d'intérêt public. Il était donc assez naturel que l'on respectât l'opposition d'un propriétaire, qui se refusait à vendre. Mais il est impossible de douter, que l'on n'exigeat la cession des propriétés nécessaires pour des travaux publics.

(2) M. O. LECLERCQ. Le droit Romain dans son rapport avec le droit Français, ad art. 545 C. C., ubi dicit: On ne trouve pas de texte précis où il soit dit: qu'on peut être contraint de céder la propriété pour cause d'utilité publique; c'est là une conséquence du pacte social, qui dérive du principe que l'utilité publique doit être préférée à l'utilité particulière. Quod communiter, etc.

Quamvis ea verba sententiae illi favere videantur, dicendum tamen est in plurimis D. manuscriptis legem sese habere ut sequitur: „Quod communiter omnibus „prodest, hoc REI privatae NOSTRAE utilitati praeferendum censemus” quod totum argumentum tollit.

Evidem miror, qui fieri possit, ut tot scriptores de ea re dubitaverint, quum testis Romanus adsit, qui hanc rem de industria tractaverit. Scripsit enim FRONTINUS libellum antiquitatis studiosis pretiosissimum, *de Aquaeductibus*, quorum cura a NERVA Augusto ei demandata fuerat. Postquam libro primo aquaeductuum omnium urbem influentium descriptionem dedisset, libri II in fine, complurium S. C. meminit de aquaeductibus agentium, in quibus unum inveni, claram lucem mihi inquirenti afferens. Scilicet plerumque vitia aquaeductuum oriebantur ex possessorum vicinae terrae impotentia, cum spatia, quae ex S. C. vacare deberent, aut aedificiis aut arboribus occuparent, quod igitur hoc S. C. provisum est.

QUOD. Q. AELIUS. TUBERO. P. FABIUS. MAXIMUS. V. F. AQUARUM. QUAE. IN. URBEM. VENIRENT. ITINERA. OCCUPARI. MONUMENTIS. ET. AEDIFICIIS. ET. ARBORIBUS. CONSERI Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. CUM. AD. REFICIENDOS. RIVOS. SPECUSQUE. PER. QUAE. ET. OPERA. PUBLICA. CORRUMPUNTUR. PLACERE. CIRCA. FONTES. ET. FORNICES. ET. MUROS. UTRAQUE. EX. PARTE. VACUOS. CENTENOS. QUINOS. DENOS. PEDES. PATERE. ET. CIRCA. RIVOS. QUI. SUB. TERRA. ESSENT. ET. SPECUS. INTRA. URBEM. CONTINENTIA. AEDIFICIA UTRAQUE. EX. PARTE.

QUINOS. PEDES. VACUOS. RELINQUI. ITA. UT. NEQUE. MONUMENTUM. IN. IIS. LOCIS. NEQUE. AEDIFICIUM. POST. HOC. TEMPUS. PONERE. NEQUE. CONSERERE. ARBORES. LICERET. SI. QUAE. NUNC. ESSENT. ARBORES. INTRA. ID. SPATIUM. EXTIRPARENTUR. PRAETERQUAM. SI. QUAE. VILLAE. CONTINENTES. ET. INCLUSAE. AEDIFICIIS. ESSENT. CET.

Addit FRONTINUS: „Posset hoc S. C. aequissimum videri, etiamsi ex Rei tantum publicae utilitate ea spatia judicarentur, multo magis cum maiores nostri admirabili aequitate, ne ea quidem eripuerunt pri- vatis, quae ad modum publicum pertinebant. Sed cum aquas perducerent, si difficilior possessor in parte vendenda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt, ac post determinata necessaria loca, rursus eum agrum vendiderunt, ut in suis finibus proprium jus tam Respublica quam privata haberet.”

Ex quibus perspicuum est tempore liberae Reipublicae magistratum Romanum illud jus non exercuisse; sed FRONTINI tempore, crescente Imperatorum potentia, cum omnia eorum nutu fierent, rem aliter sese habuisse. Unde cur miremur JAVOLENUM Cassianos secutum, libro X ex Cassio respondisse, „cum via publica vel fluminis impetu vel ruina amissa est vicinus proximus viam praestare debet”; unde etiam explicamus L. 12. D. *de Religiosis*, ubi vidimus vel privatam necessitatem idoneam praestitisse Imperatori causam Imperium suum eminens exercendi; quum precario peteretur iter, a vicino non debitum. Pulchrum ibi est exemplum justitiae, aequitatis, pietatis. Adest jus, auferendi jus quaesitum, urgente necessitate magis

publica quam privata, ne insepulta corpora jacerent; adest compensatio vicino, qui dare compellitur praestita: atque de opportunitate loci prospicere praeses provinciae cogitur, ne vicinus magnum patiatur detrimentum. Est rescriptum, Pii pietate dignum.

Ex his autem Digestorum locis videmus non faciendum esse cum viro consultissimo (1) VOLLENHOVEN, dicente Theodosii tempore „expropriationem” utilitatis publicae causa, salva tamen justa indemnitate, certis regulis statutam fuisse, quum mihi videatur hoc dici posse de Vespasiani tempore. Re vera ex constitutionibus Theodosii Junioris apparet eo tempore Imperatores, cum urbes ubique munienda essent contra barbarorum invasiones, cum Constantinopolis ornaretur, variis modis indemnitatēm praestitissem; videtur autem eo tempore dominis fundi ad opus publicum necessarii datum esse fundi pretium, si non nimis magnum videbatur, id est si pretium 50 libras argenti non excederet; „de aedificiis vero majoris pretii ad nostram „scientiam referatur, ut ubi amplior poscitur quantitas „imperialis exstet auctoritas;” vel fundi et domus privatorum occupabantur, instituebaturque cum iis permutatio, quod apparet ex legibus 50 et 51 Cod. Theod. de *Operibus publicis* nec non ex lege 13 de *Metallis* vel denique iis tribuebatur immunitas quaedam ut in lege 1 de *Aquaeductibus*.

(1) Vid. H. VOLLENHOVEN. Diss. Jur. continens Quaestiones Juridicas. Quaestio II. De Expropriatione Utilitatis publicae causa secundum legem diei 8 Mensis Martii Anni 1810. pag. 24. Hagae Comitis 1839.

P A R S S E C U N D A.

HUJUS JURIS HISTORIA IN PATRIA NOSTRA USQUE
AD RERUM CONVERSIONEM ANNO 1795.

§ 1.

Non mihi videtur demonstrandum esse, jus illud, de quo agimus, apud Batavos aliosque hujus regionis primos incolas ignotum fuisse. Erant enim agri in possessione magis quam in dominio civium, loca facile mutantium. Neque magis probandum est Romanos, quum legiones suas huc ducebant, more suo castra munientes, vias stratas ponentes, nec non Druso duce fossam illam fodientes, quo, viginti saeculis fere exactis, gaudent Gelriam habitantes, hoc fecisse pro arbitrio suo, neque unquam in terra inculta, quam victores ingressi essent, indemnitates praestitisse incolis. Postea cum per tot secula hae regiones barbarorum invasionibus vastarentur et qui modo victores habibant, mox fortioribus cedere cogerentur, non de jure quodam quaesito fere loqui potest. Franci saeculo septimo exeunte in his regionibus principatum obti-

nuerant, et sub eorum jure vivere coeperunt incolae cum vetere jure consuetudinario Germanicarum gentium mixto. Jus feudale, ut in tota Europa, etiam hic obtinuit et princeps, totius terrae possessor, provincias dividebat inter nobiles, qui apud eum gratia florebant. Inde comites et duces, totius provinciae ipsorum curae demandatae domini, quamquam primis temporibus Imperatorum praediis in comitatu sitis abstinere debebant, paulatim, crescente potestate, summa rerum potiti sunt atque imperatorem tum solum modo agnoscebant quando id sua intererat; quamquam omnibus imperantes, non videntur administravisse rempublicam, ea cura, (1) qua concilia urbana, quibus praeerat scultetus, vel nobiles in sua quisque terra. Contenti erant principes, quando reditus et annonas debitas acciperent; ita tamen ut iis, qui praeerant conciliis urbanis necessitas esset, cum nova vectigalia vellent imponere, aut aliquid novi statuere, principis auctoritatem rogare, quae eos nunquam deficiebat. Sic ubi inter duas urbes fossam vel novam viam duci oportebat, prius pactum inter eos fiebat, postea rogabant principem, ut auctoritate sua illud sanciret iisque ex imperio eminenti suo permitteret, ut fundos necessarios auferrent eorum dominis. Quarum Principis concessionum non pauca inveniuntur exempla in urbium singularum statutis, et hic etiam non

(1) Concilia Urbana in Patria nostra secundo decimo tertio videntur introducta. Vid. pulchra Diss. Hist. Jur. Iaaug. de Origine ac Juribus pristini Concilii Urbani etc. ab. J. L. DE BRUNN KOPS conscripta. Lugd. Bat. 1847.

facere possum cum viro consultissimo DELALLEAU dicente: „ il n'exista sur cette matière aucun règlement général et si l'on voulait aujourd'hui établir d'après des documents spéciaux, ce qui se pratiquait alors on trouverait tant d'exemples contradictoires, qu'il serait impossible d'en déduire des règles certaines”; quod quidem si de Francia dici potest, tamen quod ad patriam nostram attinet non verum est. Ubique in statutis urbium eadem principia inveni expressa; ubique inveni concilia urbana ad principem rem retulisse eumque illis delegasse auctoritatem, ut fundos privatorum auferrent, onere adjecto ut dominis damnum resarcirent; et si de pretio dissentiebant partes, lis deferebatur ad Comarchos vel Scabinos, qui rem judicarent.

§ 2.

Exstat (1) statutum Philippi I, Burgundiae Ducis, quo Urbibus Amstelodamo, Harlemo, Leidae et Alcmariae, conceditur fossam ducere inde a Rheno usque ad Mo-sam. Hujus fossae effodiendae causa erat, quod fluvius Isala prope Goudam, fluminis adversi impetu, et vadis, navibus impedimento erat, quominus navigatione prospera uterentur, unde multae querelae

(1) Sunt etiam alia statuta prævia, inter quae memorata dignum Alberti Bavariae ducis, Ao. 1386. Leidepsibus concessum, ubi haec reperiuntur verba: „ Dat sy mogen, wanneer sy willen aannemen, alsulck landt, als boiten de uitkant van hare stadtsgragten gelegen is, om de Stede daar mede te vesten inde chingelen; mits dat men de luiden haar landen betale ter Schepenschattinghe by haren eede.” Vid. Obs. CII. Observationen over H. DE GROOT.

mercatorum, qui, fossa perducta, facilius ex Rheno Mosam intrarent. Rationibus explicatis, Philippus Praesidi suo in Hollandia, Lannoy injungit, Comarchos Rhynlandiae, Schielandiae et Delftslandiae convocare, ut de fossae optimo tractu decernerent cet. et ita pergit:

„Ende omdat men veel lants behoeuen zal, daer „men de voirscreven vaert door delven ende graven „sal, soo willen wy ende bevelen u dat gy daerop „van onsentwege ordineert dat onse voirscreven ste- „den ende dorpen alsoo veel lants nemen mogen „als men tot-ter voirscreven vaert behoeven sal, be- „talende daer aff dengenen, die dat voirscreven landt „toebehoort de weerde van denselue landen ende oft „onse voirscreven steden ende dorpen mitten genen, die „den eigendommen van den voirscreven lande toebe- „hoort, van den coop van den landen niet eens en „worden en conden soo is onse wille ende meinighe „dat onse voirscreve steden en dorpen de landen sullen „mogen nemen, daert hen gadelicx is ende die te „betalen tot schattinge ende warderinge van onse „hogen heemraeden, in wiens bewinde en jurisdictie „die landen gelegen sullen wesen, die men uitte voir- „screven vaert behouuen sal, cet. De kosten door „allen te dragen en met dwang te innen, want onse „eyntelicke meinighe is, dat voirscreven nieuwe ge- „maekt worde.” Praevaluit igitur necessitas publica singulorum juribus: sed aliam inveni causam in eo statuto, quae Principem impulit praeter necessitatem Urbium, scilicet Philippi cupidinem reditus suos au- gendi, cum Goudae portorium decrescente mercatura

parum ei fructuosum esset, et nova fossa spem ei afferret fore ut crescerent redditus; quod sic exprimit: „dies „dat ghyt soo besorget dat wy in onsen domeynen „die wy hebben binnen onser stede van der Goude „int dourvaren van den sluys aldaer, noch in onsen „thol ter Goude by der voorscreven nieuwer vaerte niet „veraftert noch beschadicht en worden wy en gecriy- „gent ter ander plaets die daer voor soo veel oft meer „als wy nu ter Goude hebben.” (1)

Ex quo statuto liquet bona principia eo tempore jam viguisse de jure ademtionis juris quaesiti. Principi soli jus illud conceditur, qui non alifer eo utitur, nisi demonstrata necessitate publica, neque subditis eo jure uti concedit, nisi indemnes praestent fundorum ademtorum dominos; si autem lis oriatur inter partes viri boni, hujus materiae apti judices, judicium ferunto. Quod vero hoc loco dicendum est, etiam de aliis statutis dicere possum, quae in variis urbium tabulariis inventiuntur.

§ 3.

Saeculo 16 exeunte, crescente potestate civitatis Amstelodamensis, fines ejus incolas peregrinosque undique confluentes complecti nequibant. Magistratibus igitur necessitas orta videbatur fundos domusque urbi vicinos moenibus includendi Urbique conjungendi; quod quidem ut fieret, principis auctoritas opus erat

(1) Vid. *Handvesten van Haerlem*, Handvest van Hertog Philips van Bourgonje, wegens het graven van een vaart uit den Rijn naar de Maze, verleend den 2 van December 1458.

ad cogendos invitatos, ut cederent possessionibus. Inde varia statuta et privilegia, quibus magistratui, quae postulet, conceduntur, quorum notari debet statutum a Roberto, Leycestriae duce, datum anno 1586, ubi allatis causis, cur moenibus urbem cingendi necessitas esset, (ne facilem introitum haberet quicumque hostis, quod fieri non posset, nisi fines Urbis proferrentur fundis privatorum ademis) magistratui permittitur ut dominis soluto pretio, secundum scabinorum aestimationem, auferrent quae necessaria viderentur; quod quidem iis denuo conceditur a Delegatis provinciae Hollandiae et Westfrisiae annis 1591, 1594, 1609, 1625 et 1663. Alia denique statuta de conficiendis viis stratis atque fossis, quibus jungerentur Urbes, iisdem nituntur principiis; quorum pulcherrimum specimen est: (1) „Octroy tot het maken van een vaart, treck-„pad en wagenweg tusschen de steden Haarlem en „Amsterdam, bij de Heeren Staaten van Holland en „Westvriesland verleend den 4den van April 1631.”

Ex historia notum est, quam difficile iter Amstelodamo Harleum esset et quanta essent pericula viatoribus; pactum iniere civitates jam memoratae, ut sumtibus suis via strata et fossa largiore jungerentur; requirebatur autem Ordinum Provincialium auctoritas, ad occupandum fundum alienum necessaria.

Adjiciemus statuti partes: „Considererende dat het „voorscreve werck sal dienen tot commoditeyt, gerief „ende verseeckeringe van den rysenden man ende dien-

(1) Videantur: Handvesten van Amsterdam. Tomus I.

„volgende ten besten van de lande , genegen wesende
 „de verthoonders te believen , deselve vuyt onse absolute
 „souveraine macht , geconsenteert , geaccoerdeert en
 „geoctroyeert hebben , conserveren , accorderen ende
 „octroyeren deselve mits dezen , dat zij sullen mogen
 „maecken eene bequaame vaert binnen dycx , met een
 „treckpadt ende wagenwech , beginnende aan de stadt
 „Haerlem , naer het huis ter Hart ende van daer
 „voortgaende op de stadt Amsterdam , ende also de
 „verthoonders tot d'voorscreve vaert , padt ende wa-
 „genwech met den aancleven van dien sullen moeten
 „hebben verscheide gronden ende landen daer door
 „de voorscreve vaert enz. geleit sal moeten werden.
 „Soo ist: dat wy de verthoonders veroirloven — om-
 „me al sodanige gronden en landen , getimmerten ende
 „plantagien , aan haar te mogen nemen , als haar tot
 „gerief , bequaamheit ende voltrecken van 't voorscre-
 „ven werck eenichsints noodich ofte dienstich sullen
 „zijn , ende dat door bemiddelinge ende taxatie van
 „twee heeren commissarissen , door Ons daertoe te com-
 „mitteren , die alle geinteresseerden , des noot synde ,
 „sullen hooren ende derselver pretentien accommodere
 „ofte decideren , absolutelyck ende sonder eenige pro-
 „vocatie , gelijk de verthoonders de spyze tot t' voor-
 „screve padt , etc. , noodigh sullen mogen halen ter
 „naester lage ende minste schade , mits doende de
 „eigenaren ende geinteresseerden behoorlijk contente-
 „ment tot estimatie van onpartydigen , daertoe by de
 „gocommiteerde der genoemde steden , ten opzigte van
 „de voorscreve vaert te assumeren , cet.

Ex auctoritate concessa opus incepsum est; periculum autem aliunde venit. Erant enim multi, qui, quamquam non domini, aliud jus in re haberent, nominatim, qui hypothecam haberent; unde aliud edictum Ordinum, potentibus iisdem Urbibus.

„De Staten van Hollant ende Westvrieslandt desen
 „versoucke geexamineert hebbende, bevinden het bil-
 „lick ende in redenen gefondeert te weesen; auchto-
 „riseeren derhalve de verthoonders by ampliatie ende
 „naerder interpretatie van den octroye by hare Edele
 „Grootmogende, opte 4 April 1631, aan den ver-
 „thoonders gegeven, omme by billietten allen ende
 „yder, die op de gronden ende landen by de suppli-
 „anten, uyt crachte van den voorscreven octroye
 „aangenomen, eenige hypothecatie, fideicommissaire
 „dispositien ofte andere last hebben, daer mede de
 „voornoemde goederen zijn beswaart, dat zy die wil-
 „len aangeven ende den verthoonders bekent maken
 „binnen tweemael drye maenden, naer dat d' voor-
 „screve billietten alomme behoorlycke geaffigeert zyn
 „geweest, houdende hunne Edele Grootmogende by
 „faulfe van dien, den voorschreven tyt geexpireert
 „synde, d' voorscreve gronden ende landen effectie-
 „velyck vry ende onlast, imponeerende allen ende
 „een yegelycke een eeuwig swyge ende silentium.
 „Gedaan in den Hage cet." Duo dicta illa, quae
 praecedunt, rem tam clare exponunt, atque adeo jus-
 titiae et aequitatis principiis nituntur, ut quid addam ad
 illustranda ea nesciam.

§ 4.

Nunc autem pauca dicenda mihi sunt de sententia quorundam auctorum, quos secutus est Vir cons. VOLLENHOVEN, (1) quacum facere nequeo. Dicit enim scriptor ille, se neque in Unione Ultrajectina neque alio loco de *Expropriatione* statutum invenisse, quamquam illam adhibitam fuisse ex bona causa censet. Sed numquam Unio Ultrajectina hujus regionis constitutio fuit (2). Erat pactum inter sociatas provincias patriae nostrae ad mutuam defensionem secundum regulam: Concordia res parvae crescunt. Erant Provinciales Ordines provinciae principes, habebantque summum imperium atque jure auferendi jus quaesitum, tamquam summi imperii vel dominii eminentis sequela, utebantur, neque peculiari lege, qua iis id concederetur, indigebant. Quae quidem addit VOLLENHOVIUS: „viae enim plerumque ita sternebantur, ut quoad fieri posset neminem laederent; urgente vero necessitate parati erant, data mercede, partem fundi in publicam utilitatem tradere, et sic multae viae multaque opera publica in patria

(1) Vid. VOLLENHOVEN. Diss. cit. pag. 26.

(2) Vid. Handleiding tot de kennis van het Nederlandseche Staatsbeestuur, door MR. J. DE BOSCH KEMPER. pag. 34. „De Unie van Utrecht was meer een verbond van zeven souveraine gewesten tegen den gemeenen vijand, dan eene staatsregeling.”

(3) Verba statuti erant: *Hebbēn voorts gegunt ende geoorlooft — den Burgermeesters ende Regeerders der Stedē van Leyden t' aller tyde te mogen eigenen al sulcke private plaetse ende huysinge als hen luyden goetduncken sal — sulcks syluyden bevinden sullen tot de bequaemhēyt niet alleenlyck der selver schole maer oock tot commoditeyt ende stich-*

,, nostra, nemine repugnante, confecta sunt;” ea ex antea dictis non vera esse satis intelligitur.

Idem BYNKERSHOEKIUM secutus, Guilielmum I reprehendit, dicens eum in jus quaesitum offendisse non utilitatis publicae, sed privatorum oblectationis causa. Sec hic Guilielmus I mea opinione nihil admisit contra justitiam. Urbs Leida bene meruerat de patria; exhausta erat longa oppugnatione; ut praemium haberent fortitudinis cives, iis concessa est Academia, qua florandi spes data est urbi exhaustae; sed ut Academia floreret, primo loco requirebantur cives studiosi, sine quibus nulla unquam Academia exstitit. Studiosos non solum studiis, sed etiam ludis operam dare vulgo notum, et vix bona dici potest Academia, ubi occasio non praebeatur studiosis a studiis quiescendi, *quia non semper tendit arcum Apollo*. Conceditur igitur magistratui Leidensi ea aedificia, quae in bona Academia requiruntur, in fundo alieno construere, data dominis indemnitate ex scabinorum aestimatione. Praetulerunt cives Academiam aliis Privilegiis, eamque ipsi expetierunt; itaque necessitas jubebat aedificia et loca publica parari, quibus gauderent studiosi, quippe

tinge van eenige der Doctoren ofte Studenten Woonplaetsen ofte Collegien mitgaders tot cieraet derselven ende recreatielen der Studenten eenighsint dienlijck te wesen. Gr. Plac. Boek. Tom. III. p. 538.

In Ordinum delegatorum sessionibus anno 1841 sqq. saepe exemplum Guilelmi I allatum est, ut probaretur, quam late patuisse illud jus ad. dom. apud Majores nostros. Mea vero sententia hoc exemplum ejusdem momenti est, ac si diceres, aedificia ad recipiendos viatores, qui currubus vapore agitatos vehi cupiunt, non esse ornanda; quia tum ademtio ejus fundi, ubi exstructa sunt, privatorum oblectationis causa, facta est.

qui amabilem, severae Minervae praeferant; quare qui tale beneficium acceperunt cives, eo aliquid damni pati poterant.

§ 5.

Recensui plerosque casus, qui lucem afferre possent de modo, quo saeculis elapsis illud imperium eminens exerceretur circa jus auferendi jura quaesita. Ante quam autem ad leges speciales hujus saeculi transeam, pauca mihi dicere liceat de Ictorum scriptis, in quibus hac de re agitur. Primus qui sistema suum in patria nostra explicuit, fuit GROTIUS, quod satis exposui § 2 Introitus; eadem dici possunt de BYNKERSHOEKIO et PUFENDORFIO. In aliis scriptoribus primum locum obtinuit ULRICUS HUBERUS, primum professor, deinde consiliarius Frisiae, qui in opere suo *de jure civitatis* Lib. I, III, Sect. III, Cap. 4., nec non in alio opere „*Heedendaegse Rechtsgeleertheyt* Lib. II, Cap. II, § 9 et Lib. IV, Cap. VIII, § 25. pulchre et concise hac de re disputat. Jus illud fundamentum habere in consensu eorum, qui constituunt civitatem” censens, addit: „Quos omnes ita velle manifestum est, ut si „contingat, Reipublicae utilitatem non posse custodiri „sine incommodo damno privatorum, utilitas Publica „privatae praeferatur. Quod cum maximi sit momenti, „modumque ordinariae potestatis transcendat, consentan- „neum est, a nemine quam ab eo, qui summum „habet imperium, esse exercendum. Et quum omnes „censendi sint ea velle quae Imperans in commune „bonum facere jubet, nemo hac in re injuriam pati

„dicitur, quia volenti non fit injuria.” Alibi dicit:
 „Steden en Grietenyen hebben dit recht niet; maar als
 „die haer Ingezetenen tot sulks iets willen verbinden,
 „soo moeten sy daertoe consent van de Heeren Sta-
 „ten hebben; by Exempel tot het maken van weegen,
 „vaerten, gebouwen, om de lieden te dwingen, dat
 „sy haer landen en huisen daer toe sullen laten ge-
 „bruiken, moeten sy hebben octroy van de Heeren
 „Staten, het welke voor den Hove moet worden ge-
 „interineert, met overroeping van de geintresseer-
 „den, die hier opponerende rechtelyk moeten worden
 „gehoort, en soo is gedoemt syn landt op taxatie te
 „missen Jan van Roorda tot Hardegaryp. den 14^{den}
 „September 1641. Des dat de schepen den trekweg
 „niet gebruikende, met geen tol souden mogen wor-
 „den beswaert, moetende het oordeel van die saken
 „in dier voege komen aan den Hove.”

Neque magis omittendus est G. NOEST, qui, in opere de jure Publico, GROTHI doctrinam analysi subjicit atque jus illud Imperantis contra dissentientes defendit; in materia indemnitis PUFENDORFIUM secutus, dicentem tribus casibus damni resartionem non requiri, 1^o. quando is, qui damnum patitur antea noverat se obnoxium futurum illi damno, quoniam habet quod sibi imputet; 2^o. quando damnum generale cives complectitur; 3^o. quando Respublica resarciendo damno impar est, ex regula: ad impossibilia nemo tenetur.

Videantur etium hac de re E. A. ZURCK voce *dominium eminens*. — D. E. GRASWINKEL eadem voce.

P A R S T E R T I A.

DE LEGIBUS HUJUS AEVI.

§ 1.

Nihil obstat, quominus jam transeam ad tertiam partem Dissertationis meae, in qua de variis legibus nostrae memoriae dicturus sum. Prius autem necesse est aliquid dicere de legibus in Francia latissimis, et quomodo ibi res sese habuerit, antequam specialis constitutio facta est. Apud Franco-Gallos jus, de quo quaerimus, vocabatur „*venditio coacta utilitatis publicae causa*“ (1), „*vel retractus publicae utilitatis*.“ (2) MAILLARD (3) retractum sic definit: „Le retrait à titre d'utilité publique est la faculté que le Roi, l'église ou les villes ont de se faire subroger dans l'achat, même d'accorder la propriété d'un heritage limitrophe, ou

(1) Vente pour cause d'utilité publique.

(2) Retrait d'utilité publique.

(3) MAILLARD sur le Titre III de la coutume d'Artois. N. 29.

„trouvé nécessaire aux fortifications, à l'édification
 „d'une église, à la décoration d'une place, d'une ville,
 „d'une maison royale ou d'un collège.”

Apud Francos illud jus principio latius videtur patuisse quam apud ceteros populos, quia Regum potentia limitibus non ita circumscripta erat. Inde nihil certi statutum erat, cum nullam sequerentur Reges normam. Audiamus alium scriptorem : (1) „Beaucoup d'anciennes routes ont été ouvertes à une époque où l'intérêt public faisait quelquefois méconnaître l'intérêt particulier, et si l'on voulait établir par des faits ou titres, ce qui se pratiquait alors, on serait fort embarrassé; car on trouverait tant d'exemples contradictoires, qu'il serait difficile d'en déduire une jurisprudence constante.”

Addit DELALLEAU : „Nous partageons tout-à-fait cette opinion, et nous croyons qu'il faut renoncer à établir des principes positifs, par ce que le gouvernement lui-même n'en avait pas alors d'arrêtés.

§ 2.

Anno 1790, 11 Sept. primum lege in Francia cautum est de illo jure; sed lex illa, a CONCILIO CONSTITUENTE lata, temere quaedam statuit et, ut ait DELALLEAU, egit de materia fere incognita. Eadem

(4) TARBÉ DE VAUXCLAIRS. Répertoire de la Nouvelle législation.
 V. Fossés des routes.

(5) DELALLEAU o. c. Introduction p. XXII sqq.

dici possunt de legibus 8 Julii 1791, Titulo 1 Art. 13 Decreti anni 1793 mensis Aprilis. In variis constitutionibus Annorum 1791. 1793. 1795. inveniuntur placita, in quibus principium agnoscitur, ne cui nisi ob utilitatem publicam adimatur jus quaesitum, neque sine indemnitate. Secundum constitutionem anni 1791 indemnitas solvenda est antequam res domino auferatur. Verba legis anni 1791, 3 Sept. notatu dignissima sunt (1): „la propriété étant un „droit inviolable et sacré, nul ne peut en être privé „si ce n'est lorsque la nécessité publique, légalement „constatée, l'exige évidemment, et sous la condition „d'une juste et préalable indemnité.”

Omnibus his legibus principium quidem agnoscetur, dominium sanctum esse atque utilitatis publicae causa id auferri posse, praestita indemnitate; deerant vero regulae certae, quomodo jus illud civitatis exercendum esset; unde graves dubitationes, multaeque lites opera publica confienda impedientes, quae (2) anno 1807 locum dederunt legi ferendae, qua difficultibus illis subveniretur. Cavebat dicta lex praesertim de paludibus siccandis, deque aliis causis, quae dominio auferendo ansam praebere possent, sc. de viis publicis, deque pontibus, foris aliisque operibus publicis conficiendis; titulo vero XI agitur de indemnitate praestanda. Sed non effectum est, quod voluit legislator,

(1) Verba magis, quum nobilium bona publicata sunt in Francia eodem tempore quo pulcherrimae illae constitutiones latae sunt. Vid. hac de re KLUTT: *De rechten van den mensch.*

(2) d. 16 Septembri.

propter incertas regulas lites magis excitantes, quam praevenientes; itaque necessitas revisionis mox Imperatori apparuit, quam ob causam ipse ex castris Schönbrunnis anno 1809, 29 Sept. principia novae legis litteris mandavit atque consilio status proposuit. Post graves deliberationes, quas recordatur LOCRÉ(2), anno 1810, 8 Martii ea lex perlata est, quae in Patria nostra tam diu viguit. Corollarium erat ea lex articuli 545 Cod. Civ. Fr. atque idem ibi continetur placitum: „Nul ne peut être constraint de céder sa propriété si „ce n'est pour cause d'utilité publique et moyennant „une juste et préalable indemnité.” Regulæ tres in ea lege conspicuae erant: Tribunales judicanto an necessitas publica adsit; judicium ferunto de litibus ex indemnitatibus præstatione ortis; permittunto possessionem præviam, si necesse est. — Rerum conversione anni 1814 nova constitutio orta est in Francia, articulum continens, quo nulla ademptione bonorum privatorum, propter utilitatem publicam, licita esset, nisi præcessisset indemnitas; quo factum est ut, fundo-

(1) Exempla confusionis ex ea lege ortae inveniuntur apud DELALLEAU T. 1 p. XXV. Inter varia exempla hoc unum sufficit: Le sr. Niogret fut exproprié d'une maison située à Lyon, et n'ayant pu s'accorder avec le maire de cette ville sur l'indemnité due pour la dépossession, les débats élèvés à cette occasion donnèrent lieu à quatre expertises, cinq arrêtés du préfet, une décision du ministre de l'intérieur, deux arrêtés du conseil de préfecture, cinq jugements du tribunal de première instance, un arrêt de la cour royale, et cinq arrêts du Conseil d'Etat. Encore aucune de ces décisions n'était elle définitive, et les parties ont terminé leurs différents par une transaction.

(2) Législation civile, commerciale et criminelle de la France. Tom. IX.

rum domini magno impedimento esse possent civitati, opera publica conficienda curanti; nam, si pretio oblato non essent contenti, opera publica per longum tempus litibus suis morari poterant. Alio enim Chartae articulo constitutum erat: „Le Code Civil et les „lois actuellement existantes, qui ne sont pas contraires à la présente Charte, restent en vigueur „jusqu'à ce qu'il y soit légalement dérogé;” ex quo patet articulis 20 et 24, quibus de indemnitate agitur, derogatum esse. Accessit hujus seculi inventum, sc. viae curribus vapore agitatis destinatae, quae ferreae dicuntur, atque rectam, neque in dextram vel sinistram declinantem lineam postulantes, ubique multos fundos privatis adimere cogebant. Per totam Europam leges speciales latae, abrogatae, revisae sunt, cum nova rerum conditio meliores leges postularet. In Francia saepius legis Anni 1810 revisio rogata, atque gravissimae fuere disputationes, qua in re ei derogatum esset lege fundamentali; sed non ante annum 1833 incerto illi statui finis impositus est, quo anno 7 Julii nova lex, multum boni continens, praecipue haec cavebat: tribunalia curent, ne adimatur dominium, nisi impletis omnibus requisitis legis, tribunal vero speciale de indemnitatibus judicium ferat. — Instructionis autem judicialis tarditas effecit, ut anno 1841 denuo legem revidere necesse esset; quod quidem magna diligentia factum est, cum singuli articuli legis denuo suffragio submissi, multi mutati, pauci additi sunt, quorum necessitas longinquitate temporis apparuerat; exempli gratia, caput I. Tit. VIII hujus

legis, continens dispositiones extraordinarias, quibus permittitur occupatio fundorum urgente necessitate. (1)

§ 3.

Annus 1795 nobis Franco-Gallos, cum immodicis eorum principiis, imposuit, et populus olim libertate gaudens, veritatis amans, majorum gloria destitutus, homines, regis nobiliumque sanguine contaminatos, laetus recepit, verbis felicitatem permutans. Inde factum est, ut grandia principia, olim re et factis exulta, nunc constitutionibus scriptis exprimi deberent. Decretum anni 1796 a Conventione Nationali editum, hominum jura recensens, quae in aequalitate, libertate, securitate, dominio et jure (tiranno) resistendi consistunt, juribus illis effici statuit, ut nemo cogi posset res sibi proprias cedere civitati, nisi necessitas publica id exigeret et civitas ei indemnitatem praeviam solvisset (2). Constitutionem mensis Augusti 1797 propositam quum Conventio non probavisset, nova Conventio, nomine *de Constituerende Vergadering, representerende het Bataafsche Volk*, electa est, quae anno sequenti legem fundamentalem, factiosis hominibus gratam, sancivit, cuius art. 50 haec verba inveniuntur (3): „Niemand kan van het geringste gedeelte

(1) Vid. DELALLEAU. op. c. editionis quartae, pag. 7.

(2) Vid. PUBLICATIE, behelzende de erkenning en verklaaring der rechten van den Mensch en van den Burger. Gearresteerd (den 31sten Januarij 1795), het eerste jaar der Bataafsche vrijheid.

(3) Vid. VOLLENHOVEN Diss. cit. pag. 29. sqq.

„van zijn eigendom, buiten zijne toestemming, beroofd worden, dan alleen, wanneer de openbare noodzaakelijkheid, door de Vertegenwoordigende Magt erkend, zulks vordert, en alleenlijk op voorwaarde „eener billijke schadevergoeding.”

Quum autem illa Constitutio turbis sedatis minime placeret, anno 1801 mense Octobri, nova Constitutio proposita et accepta est, quae articulo 5 haec verba habet: „Ieder Ingezeten wordt gehandhaafd bij de vreedzame bezitting en het genot zijner eigendommen. Niemand kan van eenig gedeelte derzelven worden ontzet, dan wanneer het algemeen welzijn zulks vordert, en in zoodanig geval niet anders dan tegen eene billijke schadevergoeding.”

Constitutiones anni 1805 et ea quae anno sequenti, LUDOVICO NAPOLEONTE regnante, lata est, rem in medio reliquerunt; sed in Codice Civili anni 1809 art. 440 denuo statutum neminem cogi posse proprietatem cedere civitati, nisi in usum publicum, praevia indemnitate soluta. Anno 1810 cum Patria nostra Franciae addita esset, sub ejusdem legibus vivere coepimus et legem 8 Martii ejusdem anni cum bene multis aliis accepimus, quae cum, expulsis Franco-Gallis, Provinciae Belgicae nostris junctae essent et Constitutio Anno 1815 (1), 24 Augusti, ab Ordinibus comprobata esset, pleraque vim suam servarunt; in his lex anni 1810 8 Martii. Quum autem graviter hac de re disputatum sit, § sequenti videbimus, quid hac de re censeri oporteat.

(1) Lex fundamentalis anni praecedentis nihil hac de re cavebat.

§ 4.

Argumenta eorum, qui hanc legem abrogatam esse contendebant, erant praecipue haec: Pugnat lex illa cum lege fundamentali anni 1815 praesertim cum art. 164 et 165 (1), secundum quos omnes lites de dominio rerum dirimendae sunt a tribunali, cum lege anni 1810 potestati administrativae jus tribuatur an utilitas publica adsit dijudicandi atque fundos necessarios addicendi; multi inveniuntur articuli in illa lege, quibus obtemperari nequit, cum in lege fundamentali vox reperiatur „*de wet*” id est lex ferenda, non jam lata. His autem argumentis obstat articulus 2 (additionele artikelen), quo legimus: „alle thans in werking zijnde wetten behouden kracht, tot dat daarin „op eene andere wijze zal zijn voorzien”, ex quo contendimus illam legem non abrogatam fuisse lege fundamentali; quod ad articulos attinet, qui directe legi fundamentali contrarii nullum effectum habere poterant (2), decretis regis huic difficultati provisum est; nempe decreto 25 Dec. 1816, quo cautum est, ut lex anni 1810 effectum habere posset et methodus

(1) Art. 164. Ieder Ingezeten wordt gehandhaasd bij het vredzaam bezit en genot zijner eigendommen. Niemand kan van eenig gedeelte derzelven worden ontzet, dan ten algemeenen nutte in de gevallen en op de wijze bij de wet te bepalen, en tegen behoorlijke schadeloosstelling.

165. Alle twistgedingen over eigendom of daaruit voortspruitende regten, over schuldvordering of burgerlijke regten, behooren bij uitsluiting tot de kennis van de regterlijke magt.

(2) Vid. VOLLENHOVEN, Diss. cit. p. 36.

procedendi in admitione dominii ad Juris Publici Neerlandici normam redacta est, ac decreto anni 1819 30 Decembris, quo provisum est, ut coetus, de quo art. 7 dietae legis agitur, conveniret illo loco, quo forum primae instantiae, cui subest fundus requisitus, convenire soleat (1). Sed si verum est legem illam non abrogatam esse lege fundamentali, faciendum esse credo cum viro consultissimo DE PINTO (2), dicente legem anni 1829 (3), cum omnes leges Franco-Gallicos ad C. C. pertinentes abroget, illam etiam abrogare legem. Neque dicendum est hanc legem agere de argumento Juris Publici; nam nihil aliud est quam corollarium articuli 545 C. C., quocum igitur vim legis amisit. Inde ab anno 1838, cum codex noster introductus est, usque ad annum 1841, speciali lege de tanta re caruit Patria nostra; an igitur omnis admittio juris quaesiti eo tempore illegitima erat? illud minime affirmandum esse censeo, nam jus illud admitionis dominii nullo modo dabatur lege anni 1810, quae solum rationem indicabat hujus juris persequendi. Integrum igitur illud jus remansit et lege fundamentali disertis verbis datur; sed mea sententia, qui tunc fundos suos ad opus publicum conficiendum

(1) Vid etiam DE PINTO, Handleiding tot het Burgerlijk Wetboek, tweede gedeelte, pag. 188.

(2) DE PINTO, l. c.

(3) Art 1 der wet van 16 Mei 1829. "Te rekenen van de invoeiring van het B. W. der Ned. wordt afgeschaft, en zal ophouden kracht van wet te hebben het Wetboek Napoleon, met al de daartoe behoorende besluiten en verordeningen."

necessarios, indemnitate praestita, dare recusabat, in jus vocandus et judicio, ut fundos traderet, cogendus erat.

§ 5.

Annis 1823 sqq. titulus C. N. de dominio variis temporibus ab Ord. Gen. est tractatus et gravissimae fuere disputationes de Art. 670, praesertim cum multi articulum 545 C. C. Gallici intactum Codici nostro inserere vellent; sed praevaluit contraria sententia, quod materies ademptionis dominii esset argumentum Juris Publici, eique igitur in Codice Juris Privati locum non esset. Recepta igitur sunt sola verba: „alles behou „dens het bepaalde bij art. 164 der Grondwet.” Post secessionem provinciarum meridionalium, codicem propositum, sive conceptum potius, denuo revisioni subjicere necesse visum nostratibus, praesertim quod multa inessent elementa Franco-Gallica, Belgis quidem grata, Neerlandis vero minime, qui Codicem cuperent moribus suis magis congruum. Denuo disputarunt sectiones de inserendo articulo 545 Cod. Nap., quum alii verba in fine art. 670 Codicis ante accepti mutari vellent in: „alles behoudens eene gelijktijdige schadeloosstel „ling bij de Grondwet.” Nova scriptura, tunc proposita et ab Ordinibus sancita, articulum 525, qualis nunc est, constituit.

§ 6.

Disputationes de codice civili annis 1833 sqq. necessitatem ostenderunt novae legis ferendae, quae

legi anni 1810 abrogans meliores poneret regulas, quomodo agendum esset, si necessitas publica fundorum privatorum ademtionem exigeret. Proposuit igitur GUILIELMUS I legem, anno 1825, quae tamen valde displicuit et rejecta est. De causis quae hanc legem Ord. Gen. invisam reddebant, dissentunt viri docti; major autem causa videtur fuisse, quod indemnitatem praeviam postulabant Ordines, cum lex post anni demum spatium solutionem permitteret. Sunt qui dicant potestatem Regi concessam judicandi an necessitas publica adasset multis invisam fuisse; quod equidem non puto tanti momenti fuisse, ut ea sola causa lex rejiceatur; nam lex, quae recepta est anno 1841, idem placitum continebat (1). Eo autem anno, mense Martio specimen novae legis proposuerunt Regis Administri nomine Regis, postquam omnibus perspicua erant facta legis anni 1810 vitia. Sane multae eo tempore querelae fuerunt de necessitate novae legis ferendae; quum privatorum avaritia civitatem premeret, et opera publica effici non possent, nisi triplici pretio vel ampliori soluto pro fundis et aedificiis necessariis. Accepta igitur lex est quamvis mediocris, cogente praesertim ratione ab Administro Regio allata, illam meliorem esse lege, quae vigebat quidem, sed de cuius vigore graves dubitationes ortae erant. Specimen legis quod mense Martio Ordinum disceptationi oblatum erat, mense Majo mutatum denuo oblatum est, eoque exeunte

(1) Administer regius, quum dictam legem anno 1841 defendit, dixit hanc non esse causam cur rejecta esset lex anni 1825. Vid. Staats-Courant. 1841. N^o. 64.

gravi deliberationi multisque animadversionibus locum dedit (1). Principia hujus legis erant praecipue haec: Lege generali modus in materia juris quaesiti ademtione sequendus significandus est, quum Regis sit judicare, an utilitas publica adsit nec ne; de qua re certior factus (2), Consilio status auditio, decreto statuit de quibus fundis disponere liceat; potestati judiciali nihil aliud judicandum permittitur, nisi de indemnitate praestanda lis oriatur; nulli adimentur bona, nisi praevia damni resartione praestita, cet.

In deliberationibus sectionum, multi questi sunt de potestate Regi tributa, qui decreto de tanta re arbitrium faceret; plerique protulerunt se ob eam causam suffragium contra legem esse laturos. Tota quaestio illa pendebat a significatione articulo 162 legis fundamentalis tribuenda, (3) qui articulus quum anno 1840 revisa est lex fundamentalis, integer remansit.

In deliberationibus delegatus LUZAC (4) tria systemata esse censuit, quibus articulus 162 leg. fund. explicari posset. „Sunt autem, inquit, multi qui cum Admirandis faciant, credentes legem fundamentalem generalis legem postulare, quasi normam agendi in ea materia, et regem decreto statuere posse casum lege requiritum adesse; alii vero existimant legem generalem requiri, sed de quovis casu etiam specialem; ipse qui-

(1) Vid. Staats-Courant. 1841. N°. 120.

(2) In Specimine mensis Martii verba "de Raad van State gehoord," art. 2 non reperiuntur.

(3) 164. Grondwet van 1815.

(4) Vid. Staats-Cour. 135. Zitting van 25 Mei 1841.

dem censeo legem generalem non requiri, sed legem specialem". — Secundum eum, articulus 164 leg. fund. anni 1815 ibi reperitur, quod Belgae, diutius oppressi, timuissent tantam potestatem Regi dare, quanta lege 1810 Imperatori concessa fuerat; quod si verum est, verba *de wet* non generalem legem spectant, sed specialem, itaque cavetur, ne Regis decreto fiat, quod sola lege fieri oportet. — Administer regius ei respondit, illum articulum 164 leg. fund. anni 1815 cum multis aliis propositum fuisse, a delegato Belga O. LECLERCK, qui cum totum opus jam perfectum esset, censuit indigere legem quibusdam principiis de libertate, de dominio etc. Ipsi hos articulos redigere mandatum est, et quum opus ad finem perduxisset, hi articuli non in speciali sectione leg. fund. recepti sunt, sed singuli per totam legem sparsi. Inter eos erat art. 164. „Dat men echter, sunt verba administris „regii, bij het vaststellen van dit artikel, er niet „aan gedacht heeft, voor elke onteigening eene bij- „zondere wet te vorderen, daarvan kan ik, die de eer „heb gehad, ook tot de commissie van redactie te „behooren, de stellige verzekering geven.” (1)

Lex, ut jam diximus, perlata est quum, 15 eam rejicientibus, reliqui 37 eam suffragio suo comprobarent.

§ 7.

Nova lex non minuit lites. Societas viae ferreae sternendae praesertim questa est de ejus inefficacitate,

(1) Vid. Staatscourant. 142. 1841.

quum triplex malling solvere pretium pro fundis requisitis, quam litibus coacti quotidie opus intermittere. Anno 1843 jam apparuit dictam legem tot vitiis laborare, ut eam revidendi summa esset necessitas. Petitione igitur a Societate dicta Ordinibus oblata est et ab iis Administris Justitiae atque rerum domesticarum tradita; et quamquam polliciti erant Administris fore ut lex revideretur, spes inde orta diu inanis mansit. Societas viae ferreae opera tunc omisit; diaria, quotidie in legem inventa, revisionem necessariam esse profitebantur, plurimique libelli, eodem consilio scripti, in lucem prodierunt. Postulabant praesertim, ut possessio litem praecedens, societati ex auctoritate Regis adimenti concederetur, et ne lites tamdiu traherentur. Non satis laudari potest inter libellos, quos memoravi, ille quem conscripsit auctor *anonymus W. D. S.* (1), Westlandiae incola, qui concinne et in omnium civitatum leges inquisivit, et legis anni 1841 vitia ostendens bonae legis requisita enumerat. § 9 de leges anni 1841 judicans, dicit: „De wet van 1841 „is van het begin tot het einde gebrekig”, et dicta probat exemplis; ostendit nullam ademptionem fieri posse, nisi lex possessionem praeviamente cum pretii solutione vel consignatione largiatur; qua conditione deficiente efficitur, ut tardius procedant opera incepta, privatique homines avaritiae suae fructum cum publico detimento habeant; etenim mirificum est exemplum,

(1) Ontheining ten Algemeenen nutte gadegeslagen op het gebied van Regtswetenschap en Wetgeving door W. D. S. 's Gravenhage bij A. J. van Weelden, 1845.

cum publica necessitas a summo magistratu agnita sit, privatum exceptionibus rem tanti momenti posse impedire. Societas viae ferro stratae, duas urbes mercatura florentes junctura, tam utile consilium nimis diu differre coacta. — Eodem fere tempore, quo W. D. S. animadversiones suas in lucem edidit, F. W. CONRAD, operibus praepositus, praeviae possessionis necessitatem ostendit (1). Illos libellos laudanti, aliorum antea editorum mihi in mentem venit, de quibus quaedam dicere hujus loci esse videtur. Eodem fere tempore, quo lex anni 1841 Ordinum deliberationibus oblata est, quatuor Amstelodamenses (2) Icti celeberrimi specimen legis, adjecto commentario, ediderunt, quo lege, ab Administris Regis nomine proposita, cum sua comparata, animadversiones suas de illo arguento exponunt. Assentiebantur iis, qui vocem *de wet* in articulo 162 l. f. legem specialem significare putabant. Responsum iis est in *Journal de la Haye*, 25 Martii 1841. — Alter est libellus anonymus: *Iets over de vraag: of voor iedere onteigening ten algemeene nutte, eene afzonderlijke wet moet worden gevorderd*, quo legem generalem leg. fund. requisitis respondere arguitur (3).

(1) De noodzakelijkheid einer bepaling tot voorloopige inbezitstelling bij de wet op de onteigening ten algemeene nutte door F. W. CONRAD.

(2) Proeve einer wet betrekkelijk de onteigening ten algemeene nutte, door Mrs. D. A. Walraven, S. P. Lipman, A. Brugmans en B. Donker Curtius, Advocaten te Amsterdam.

(3) Vid. Ned. Jaarb. vol. IV, pag. 256. — Del. LUYBEN in sessione Ordinum 27 Maii 1841 de hoc libello dixit: »Dit geschrift is

Sed revertamur ad legum enumerationem; nunc enim agendum est de lege diu exspectata, proposita et rejecta. Haec enim fuit sors legis anni 1845, quae emendatione sperata carebat. Dixerunt plerique delegati sibi non perspicuum fieri lege proposita ademptionem faciliorem fore, multique putarunt legem ut tum erat non ita vitiosam esse, sed male rem aggressos esse qui legis exsecutionem petivissent.

§ 8.

Postquam saepius l. f. revisio petita erat ab Ordinibus, Rex in Oratione, qua Ordinum concessum quovis anno auspicari solet, ad diem 19 Oct. anni 1847 promisit, se leges laturum esse de derogatione eorum placitorum l. f., quae non consentanea viderentur iis, quae tempus postularet. De illa l. f. revisione, quae secuta est, quum tota Europa quassabatur seditione tumultu, cuius ipsa quoque patria nostra non omnino expers mansit, hoc dicendum videtur, illam temporis notas p[re]se ferre. Multum concessum est, quod alio tempore concessum non fuisset; quum autem nostrum non sit criticam disquisitionem de illa revisione scribere, sed videre quatenus et quae nova principia introducta sint, quantum ad nostrum argumentum attinet, breviter enarrabimus quae necessario videntur cum argumento cohaerere. Anno 1844, 9 delegati Ordinibus specimen legis fundamentalis revi-

» in handen van ons allen, en heeft ongetwijfeld de belangstelling van
» ieder, hoe men ook over de zaak denken moge, in een hooge mate
» opgewekt.“

sae obtulerunt, quod tamen suffragiis permissum ab iis rejectum est. In illo specimine articulum de J.Q.A.(1) agens, ita sese habuit: „Niemand kan van „zijn eigendom worden ontzet, dan ten algemeenen „nutte, in elk geval door eene wet te verklaren en „tegen voorafgaande schadeloosstelling.” In commentario legi adstruendae addito sistema defendebant delegati, praestare ut de singulis casibus, qui obvenirent, lex specialis statueret neque omnes generali lege complecterentur; fines enim patriae nostrae patiuntur, ut potestas legislatoria hac in re se immisceat publicae administrationi; quum autem Ordines animadverterent nimis generalia esse, quae articulus statueret, eum immutatum obtulerunt, et quae sequuntur addiderunt:

„De uitzonderingen, op het vereischte der verklaring in elk geval door eene wet, ten behoeve der vestingbouw en den aanleg, het herstel of onderhoud van dijken, worden door eene algemeene wet geregeld.

„Noch het vereischte der voorgaande verklaring, door eene wet, noch dat van voorafgaande schadeloosstelling, kan worden ingeroepen in gevallen van oorlog, brand of watersnood, die onverwijld inbezitneming mogten vorderen, onverminderd het regt op schadeloosstelling.”

In specimine 9 Martii art. 162 l. f. nulla proposita est mutatio; sed quum 17 Martii (2) Quinqueviris

(1) His siglis utar ad juris quaesiti admitionem significandam.

(2) Erant delegati: D. DONKER CURTIUS, J. M. DE KEMPENAER, L. C. LUZAC, L. D. STORM ct THORBECKE.

novae redactionis demandata esset provincia, illi 11 Aprilis, opere, quod suscepérant, ad finem perducto, specimen ediderunt, in quo multi reperiebantur articuli ex specimine anni 1845 desumti, et art., quem supra commemoravimus, integer servatus erat. Administri Regis 19 Junii novum specimen Regis nomine proposuerunt, quod disceptationi Ordinum commissum est. Articulus numero nunc 147 ita legebatur:

„Niemand kan van zijn eigendom worden ontzet, „dan ten algemeenen nutte en tegen voorafgaande „schadeloosstelling. De wet verklaart vooraf dat het „algemeen nut de onteigening vordert.

„Eene algemeene wet regelt de uitzondering op „het vereischte van zoodanige verklaring ten behoeve „van vestingbouw en den aanleg, het herstel of on- „derhoud van dijken, bij besmetting en andere drin- „gende omstandigheden.

„De bovengenoemde vereischten van voorafgaande „verklaring door eene wet, en van voorafgaande „schadeloosstelling kunnen niet worden ingeroepen, „wanneer oorlog, brand of watersnood eene onver- „wijlde inbezitneming vorderen. Het regt van den „onteigenden op schadeloosstelling wordt hierdoor „echter niet verkort (1).”

Hujus art. cum praecedente comparatione instituta, liquet formulam ejus meliorem esse, atque in sectione secunda magis cautum est, ne legislator nimis finibus ipse suis circumscriptus sit: verba enim „drin-

(1) Vid. VOOROUIN, Geschiedenis en beginselen der Grondwet voor het Koningrijk der Nederlanden, pag. 355 sqq.

„gende omstandigheden” late patent. In commentario adjecto Administris tuebantur systema, cur prævia indemnitas, et in singulis casibus specialis lex, necessaria sibi esse viderentur ad tuenda jura in re et ad consulendum exsecutioni, quae facilior foret lege sancita: Oppidorum Castrorumque munitionem specialem ejusmodi legem pati non posse, quia talia ferme citius fieri solent.

Impugnaverunt non pauci hanc legem, cum alii verbum *behoorlijke loci voorafgaande* habere cuperent, alii castrorum munitionem non enumerandam esse inter casus, quibus generali lege prospiciendum esset, crederent, alii denique legis Franciae anni 1841 articuli (1) 3 placitum præferrent vel legem vigentem servari malent. Administris regii in commentario legi addito, *Memorie van Beantwoording van het voorloopig verslag der Commissie van Rapporteurs, voor de Wetsontwerpen tot herziening der Grondwet*, exemplo Anglorum allato (2), systema, quod secuti erant, alio quovis melius esse censebant, cum non nisi lege dominium auferretur; quod ad castrorum munitionem attinet, bello urgente legibus de

(1) Pars secunda hujus art. quum parte priori caveat, ne fiat Ademtio nisi prævia lege lata, sic sese habet: « Une ordonnance royale suffira pour autoriser l'exécution des routes départementales, celles des canaux et chemins de fer d'embranchement de moins de vingt mille mètres de longueur, des ponts et de tous autres travaux de moindre importance. »

(2) In Anglia non facile privati homines cogi possunt, ut fundis cedant U. P. causa. Antequam lege ademtio permittitur, longa præcedere debet causae cognitio; lites de indemnitate judicantur a 12 juratis.

ea re ferendis locum non esse, cet. (1). Ad diem 21 Augusti, de lege quinta speciminis propositi, quae de Justitia agebat, disceptatum est. Cum alii verba fecere, tum delegatus FABER VAN RIEMSDIJK, qui ex historia arguit, J. Q. ademtionem in Patria nostra olim non tam angustis finibus circumscriptam fuisse, quam multi putarent, legem anni 1841 vitiosam vocavit atque dictis exemplo (2) illustratis, ostendere conatus est fore ut, praevia indemnitate ceteris difficultatibus legis accedente, A. J. Q. prorsus haud unquam fieri posset; „quod ad legem, quae singulos casus respiciat”, inquit, „non puto Ordines idoneos judices esse, qui quam „utile vel necessarium sit opus urbibus vel vicis, non „omnibus aequo notis, judicent.”

Delegatus SMIT postulavit, ut Administer regius doceret, cur A. J. Q., quae jam multis difficultatibus impediabatur, novis vinculis irritam redderet. Delegatus BORSKI, usu se didicisse profitetur, indemnitates praevias et specialem legem J. Q. A. plane impedire. Solus ex art. adversariis del. NEDERMEIJER VAN ROSENTHAL specialem legem necessariam existimavit; praeviam vero indemnitatem cum aliis non necessariam esse censuit, quum Ordinum esset lege constituere an casu allato indemnitatem quantum satis esset (behoorlijke), praeviam esse oporteret (3). Ad-

(1) Vid Bijblad tot de Staats-Courant, pag. 758.

(2) Exemplum notissimum, quam 20000 florenorum rogarent absentis cuiusdam procuratores pro cessione viae, quae litis decisione 80 florenis aestimata est. Totius litis impensae erant 8000 florenorum.

(3) Vid Bijblad 763.

minister h. t. justitiae legem suasit his argumentis usus: tempus postulare, ne dominii sanctitas violetur, quum falsae theoriae pauperes instigent, ut locupletum bonis, quasi suis utantur. „Est igitur Magistratus,” „sic pergit, „magno exemplo iis probare dominii violationem nefas esse. Discat populus, quid sit pro „pietas, ut revereatur.”

Ita urgente temporum necessitate cunctis omnium suffragiis perlata lex est.

Septem fuere, qui in sectione tertia Collegii secundi Ordinum duplici numero convocatorum, contra specialem legem singulis casibus sententiam dicerent.

Delegati VAN LIJNDEN (1) et STORM (2), contra caput V de Justitia agens, in conventu Ordinum duplici numero convocatorum suffragia tulerunt, hic quod praeviam occupationem belli causa periculosam judicaret; nam bello quidem urgente talem usurpatiōnem licitam, imo necessariam videri posse; nostra vero memoria saepius accidisse, ut vox *bellum* Regi videatur *belli metus*, itaque antequam pacem cum Belgis composuerit, pactione tamen inita, saepe privatorum fundos inundari jussisse belli causa; si talis esset belli definitio, se suffragari legi non posse; ille vero, voce *onderhoud* duas res diversas significari putans definitionem petiit, qua perspicua hujus verbi vis redderetur; sua sententia periculum in mora esse, si praevia possessio etiam hac in re lege fundamentali tolleretur. Quibus respondit is, qui eo tempore Mi-

(1) Bijblad 967.

(2) Bijblad 969.

nisterio Justitiae fungebatur dicendo, si res in angusto esset metu belli vel fluminum violentiae praeviam possessionem licitam esse, qui casus si non adessent, dominium violari nefas esse. — Omnia suffragia tulit lex, horum duorum delegatorum suffragii exceptis.

§ 9.

Ex iis quae diximus intelligitur, articulum 147 l. f., qualis nunc est, non placuisse magnae parti Ordinum. Credo equidem si alio tempore propositus esset, majorum delegatorum partem legem rejecturam aliudque sistema praelaturam fuisse; tunc vero metus aderat ne, si totam legem unius articuli causa rejeccissent, malum inde oriretur, propter spem toti populo erectam, fore ut citius perficeretur grave illud revindendae leg. fund. opus. Hinc factum est, ut legislator cogeretur legem proponere, iis subnixam principiis, quae olim minime agnoscebantur; quod quidem factum est anno 1851, mensis Februarii die 19.

Hujus legis historiam dare, id est latine referre, quod in Diario *de Staats-Courant* cum annexis legi potest, singulos articulos illustrare, ut eorum vis et efficacitas, si quid obscuri inest, omnibus cupientibus perspicuae fiant, cum dissertationem meam sine causa ultra fines amplificaret, de illa lege breviter dicturus sum, quae cum argumento meo necessario cohaerere videbuntur. Est enim J. Q. A. argumentum non uni sed plurimis variisque dissertationibus aptum, cum alter posset scribere de ipso jure ejusque fundamento,

alter legem anni 1851 et singulas ejus partes disquisitioni submittere vel inter jus nostrum et extraneas leges comparationem instituere; ego vero hujus juris historiam narrans, singularum legum propositum non nisi breviter explicare conatus sum, quapropter etiam hanc novissimam legem, quasi operis mei finem, ut alias priores, exponam. In commentario (1) legis generalia enumerantur principia, quibus enitatur lex de A. D., ut bona sit, necesse est. Bonae igitur legis postulata sunt haec: 1° Legislatoris est curare, ne usurpetur dominium, nisi bonum publicum illud necessario postulet; 2° cautions constituere, ut fundorum necessariorum assignatio juste fiat; 3 rationem indicare, qua obtineatur ademtio; 4 indemnitatem aequam, quanta debeatur, quam citissime cognoscere; 5 atque ademtione perfecta, quaecunque inde orientur, rite constituere.

Sed quum in l. f. ipsum novae legis fundamentum reperiatur, primo loco videndum, quaenam ejus vis, quae verborum significatio sit; et primo loco rogari potest, quid velit illa vox *algemeen*, et perspicuum erit ex fine art. 147 hanc vocem non solum ad totam civitatem sed etiam ad provincias et urbes vel vicos referri posse, quod ibi non de totius regionis beneficio, sed de minoris etiam partis utilitate agatur.

2. Voci *vestingbouw* quae efficacitas tribuenda sit, incertum videtur (2); nam illa opera, quae belli tem-

(1) Vid Bijlagen voor het Bijblad van de St. C. pag. 228, sqq.

(2) Anno 1848 Administer requis rogatus, respondit: »men moet „hieronder verstaan die veldwerken, welke in oorlogstijd worden samengesteld.”

pore struuntur ad castrorum munitionem, non fieri possunt, si praevia indemnitas solvenda est. Non igitur attendendum est id, quod anno 1848 respondit Adm. reg., quum ea opera bellica in parte 4 art. 147 recenseantur.

3. Ondeigning bij besmetting en andere dringende omstandigheden.

Quod ad primum attinet, cum ad arcendum contagiū, mobilia dominis eripiuntur jussu politiae et destruuntur, id non videtur suo loco esse in lege de ademptione dominii. Quidnam autem sit illud *dringende omstandigheden*, frusta intelligere conatus est legislator; neque ullum in nova lege invenitur placitum de ea re agens, etsi in capite Tituli II illa verba inscribuntur.

Ut legislator scire posset, an utilitas publica adsit, necesse est totius operis consilium universe cognoscat; tum demum potest lege ademptionem permettere, vel non; quo facto, si opus publicum approbaverit, Regis, potestate administrativa et executiva muniti, est videre, quomodo ad optimum finem perducatur. Judiciaria vero potestate lites dirimendae, et indemnitates debitae arbitrio bonorum virorum decernendae sunt. In tota lege id quidem legislatori quam maxime cordi erat, ut lites quam citissime dirimi possent. Statuit igitur, ut ademtor contra omnes fundorum necessariorum, in eodem pago (Arrondissement) sitorum, dominos simul actiones institueret, si cedere nollent; hi vero totam defensionem et omnes exceptiones simuli instituerent, ne longis fori disceptationibus necessaria

opera retardentur. Judex vero, limitibus suae potestatis circumscriptus, tantum judicare debet, num omnia, quae lege praescribuntur, facta sint; cuius rei certior factus fundos addicat ei, qui adimendi potestatem habet, et indemnitatem decernat. Anno 1842 multi voluerunt ademptionem indemnitati praeviam, ut opus properantius fieret; cui rei nunc obstat lex. fund., praeviam ademptionem quibusdam solum casibus, ibi enumeratis, permittens. Ne autem is, cui bona judicio ademta sunt, pretium fundi recusando, ademptionem illam irritam redderet, legislator pecuniam consignari permisit eo loco, ubi consignationes fieri solent.

Quamvis verum sit leg. fund. de quibusdam casibus enumeratis legem generalem poscere, de aliis eadem lege statui non vetuit, quare primo titulo norma in his sequenda indicatur.

In eo autem titulo animadvertisenda sunt quatuor tempora bene distinguenda. Primum agitur de modo, quo opus conficiendum omnibus, quorum interest, notum fiat, ut animadversionses evocati in medium proferant. Ita nulli non innotuit opus, dum de eo cognoscit legislator.

Tunc lata lege, illi, qui ad opus delegati sunt, partes audire possunt, ut potestas administrativa difficultates ortas componere vel dirimere queat, quo facto Rex decreto de totius operis consilio et fundis vel aedificiis adimendis statuit.

Tertio loco agitur de litibus contra invitatos instituendis, quando judicatur, quid sit adimendum, quanta esse debeat indemnitas.

Quarto loco denique statuitur de solutione vel consignatione pecuniae et quomodo ademtorum possessio adeunda sit.

Tota lex 78 articulis constat atque in tres titulos dividitur, quos praecedunt 6 art., generalia principia continentes. De primo titulo jam vidimus; secundus in duo capita dividitur, eos recensentia casus, qui lege speciali propter perspicuum eorum uilitatem non indigere videntur; titulus tertius placita continet, ademtionem in extrema necessitate, sc. bello vel naturae elementis urgentibus, ordinantia.

§ 10.

Laudaverunt novam legem, qui de ea referre debabant ad delegatos (1), (de commissie van Rapporteurs) propter magnam curam ei adhibitam, et quidem recte; nam experientia docuit, talēm legem componere non facile esse negotium. Quaedam tamen erant animadvertenda, et id vel primo loco, quod singuli articuli non essent illustrati in commentario legis, quo fieret, ut saepius de eorum vero sensu disputari posset. Quod ad totius legis tenorem attinet, quamvis legislatoris curam laudarent, ob nova placita, quibus mora operis imminueretur, multi tamen tempus praeviis operibus tribuendum nimis longum censebant. Graviter etiam disputatum est de sensu tribuendo art. 147 leg. fund.; cum ali putarent illum requirere legem quae de cujusque fundi ejusque partium ademtione statueret, alii vero systema,

(1) De illa lege retulerunt die 10 mensis Aprilis. Vid. Bijlagen 495—504.

quod Administer Regius secutus erat, leg. fund. magis congruum atque melius censerent.

Plerique delegati praeviam possessionem volebant cum consignatione pecuniae, neque credebant hoc legi fundamentali contrarium esse, cum etiam in Charta Francica indemnitas praevia praescripta esset, lex autem anno 1841 in Francia lata suum systema tueretur. — Contra Tit. II graviter disputatum, et multi dolebant, quod de struendis aggeribus non proposita esset specialis lex: nunc enim bonae legis Anni 1841 9 Oct. magnam partem abrogare novam legem, quae aggerum praepositis multas difficultates suscitat, iisque facultatem adimeret in tempore ea faciendi, quae ad arcendam aquam necessaria videri possent.

Quodsi lex caveret de rebus non cavendis, argumentum omisso eam pernecessarium, sc. de viis sternendis in urbibus.

Censebant delegati, Administros in variis legibus contraria tueri principia, cum art. 41 legis propositae curet, ut domini indemnes praestentur pro diminutione pretii earum fundi vel aedificii partium, quae non adimerentur, et contrarium statuatur art. 40 legis propositae *de aedificando in castrorum vicinitate*.

Ceterae animadversiones id spectabant, ut insererentur quaedam placita, plerisque delegatis necessaria visa. Ita rogabant insertionem art. statuentis, ut codex *de Methodo Procedendi in causis Civilibus* vim servaret, nisi expresse contrarium lege statueretur; atque petebant placitum, rerum mobilium ademptionem vetans, nisi casibus expressis, cet.

§ 11.

Administer Regius voluntati delegatorum, ut illustrarentur singuli articuli, satisfecit novo commentario (1), quo verba obscuriora castigata, nova placita postulata inserta, multaque mutata sunt. Ubi poterat, festimationem in operibus tuitus, etiam haec in re mederi vitiis legis conatus est, quamquam hie, ut ubi vis, regulam valere putabat: festina lente. Quaedam tamen erant, in quibus assentiri non poterat delegatis, cuin saepe expetivisse viderentur placita leg. fund. plane contraria. Nam si praevia possessio cum nimirum consignatione permitteretur, leg. fund. jussam, ut ademptionem praecedenter indemnitas ita pro scripto haberi poterat. Haec autem consignatio cum solutione aequiparanda non est, quia non licet ei, cui bona adimentur, ante litis decisionem consignatam accipere. Nihil aliud esset quam cautio judicatum solvi, qualis in Patria nostra a peregrinis postulatur. Et si in Francia tale quid factum est, chartae contrarium, Administer leg. fund. se malle tueri professus es.

Tota autem lex proposita est quasi leg. fund. art. 147 exsecutio; est lex generalis, nihil addens neque omittens ejus, quod ex leg. fund. proposito lege contineri debeat. Quod quidem dictum est de art. 41 cum art. 40 alterius legis comparato, casus diversos bene distinguendos esse censuit, cum altera lex de ademptione domini, altera de impedimento liberae ejus exsecutionis, secundum art. 525 Cod. Civ., agat.

(1) Vid. Memorie van Beantwoording en wijzigingen. Bijl. 730—741.

In deliberationibus multi delegati, quibus rationes ab Administro regio allatae sufficere non videbantur legem denuo aggressi sunt, dicentes eam pugnare cum leg. fund. proposito; verba: „de wet verklaart vooraf, „dat het algemeen nut de onteigening vordert,” non aliter posse explicari, nisi ut quaevis ademtio fieret ex praecepto legis, non, ut propositum erat, regis decreto: *de onteigening* enim, esse definitum est. Qui bus respondit Adm. Reg. dicendo vocabulum *de* non tanti momenti esse, neque ad illud attendendum esse, quia nostrates numquam noti fuerint propter bonam legum redactionem; leg. fund. tantummodo requirere legem specialem, declarantem, opus quoddam, cuius universe probatum esset consilium, utile esse, quo facto potest administrativa, id est Regis, esset, legem latam exequi; Anglorum nobis evitandum esse exemplum, qui saepius fundos necessario triplo majores admarent, cum difficile esset statim judicare, quid necessarium foret; quodsi lex duas sententias aequae tueri videretur, semper eam sequendam esse, quae exitum habere posset. — Deliberationes illas omnes referre non mihi propositum fuisse jam dixi; ex relatis jam perspicua sunt dubia contra legem allata, et quomodo ea solverit Adm. Reg. Lex autem accepta est a suffragantibus 51 contra 8. (1)

(2) Primo Ordinum Collegio nova lex non ita placuit, ut secundo et acriter etiam ibi disputatum est

(1) Erant del. GOUVERNEUR, VAN LYNDEN, VAN GOLLSTEIN, GROEN VAN PRINSTERER, VAN NISPER VAN SEVENAER, SCHOONEVELD, JONGSTRA et MACKAY. Vid. Hand, 1238¹.

die 26 mensis Augusti (1), postquam pridie de ea retulerant, quibus illud mandatum (2) fuerat. Dubia ex magna parte eodem redibant, quo in Secundo Collegio, cum alii legem propositam cum leg. fund. pugnare contenderent, alii jus appellandi et nova inquisitionis rogandae (contra-expertise) dominis tribuendum censerent, alii praevia opera nimis longa crederent, alii denique ademtionem contagii causa tot formis circumscriptam esse, ut effectu careret, putarent. Eloquenter et tenaciter legis oppugnatores illam aggressi sunt, neque post Administrum Regii legis defensionem ab ea discesserunt. Erant quidem, qui spem esse dicebant, si legi propositae non suffragarentur, fore ut novam iis magis gratam proponeret Administer Regius; quibus respondit ille, se non tam facile mutare consilium, neque legem relaturum esse aliis nitentem principiis, quam quae sibi vera viderentur. Ubi de lege in suffragia itum est, 19 ei suffragati sunt, 17 dissidentibus. Itaque parum abfuit ut lex rejecta fuisset in primo Ordinum collegio, quae ab universis fere Ordinum, in collegio secundo sociis erat comprobata. Nescio an illud eo tribuendum sit, quod de vitiis legis in dies plenius constiterit.

(1) Vid. Hand. der Eerste Kamer, pag. 166, 171, 186—190, 196—210.

(2) Erant del. VAN DER BEKEN, PASTEEL, COST JORDENS, VAN ROYEN, VAN SASSE VAN YSELT.

TANTUM.

die 26 mezes Augusti (1), bestiaria bridi-de se loxi
testam, dupuis illius mandebant (2) testet. Duxis ex
mebris bruti eodem tempore, duo in Secundo Cui
legio, cum aliis postea eodem tempore, cum 166 fund
burgens contuberni, illi in abellum et novi
industriis logeboe (conta-exbessis) omnium tripli
quadrum cossentem, illi presae obea minis noua et
horae, illi deinde adspicunt contumeliam
formis circumscribunt esse ut efficit curiae partem.

Cum clariss. HOLTIUS, Bijdr. tot Regtsq. en Wetg. I.

III, 554 sqq, verissimum esse censeo SCHRÄDERI sen-
tentiam, *Civil. Mag. V. vii: 2.* verbis **UTI LEGASSIT** in
in lege duodecim tabularum, testamentum per aes et
libram agnatum lege confirmatumque fuisse.

II.

Lex Rhodia, quae dicitur non scripta lex insulae
Rhodiorum sed potius jus quoddam fuisse videtur maris
Mediterranei accolis commune.

III.

Tempore liberae rei publicae Romanae dominios
nullo modo cogi potuisse, ut fundis utilitatis publicae
causa cederent, contendeo.

IV.

Guilielmus II, anno 1650 Amstelodamum petens,
jus suum tuitus est.

V.

Laudandus est Guilielmus I, quod Urbi Leidae facultatem concesserit, fundos privatorum, dominis soluta indemnitate adimendi etiam in amoenitatem Studiosorum.

VI.

Non laudandus videtur esse legislator, qui in art. 147. leg. fund. non nisi post praeviam pretii solutionem fundi ademtionem permiserit.

VII.

Summum Imperium tempore rei publicae Belgii foederati apud Ordines Provinciales fuisse, contendo.

VIII.

Non abrogata est lex 1 Martii 1815, de celebrazione Diei dominicae, (de Zondagswet).

IX.

Non pugnat lex 28 Augusti 1851 cum legis fundamentalis proposito.

X.

Eo quod quis aedes locet, nullo modo comminuere intelligitur ius statuendi pro arbitrio de aliis aedibus, quas forte habet vicinas.

XI.

Ad alimenta praestanda parentibus caeterisque ad-
scendentibus egenis, descendentes singuli obligantur in
solidum.

XII.

Non obstat art 1302, alinea 3, Cod. Civ. quomini-
nus valeat pactum, quo aedes hac conditione vendun-
tur, ut pretio ante praestitutum diem non soluto, ipso
jure inemtae sint.

XIII.

Ius retentionis, quo quis utitur adversus debitorem,
non valet in creditorum concursu.

XIV.

Qui bona fide summam literis cambialibus expres-
sam, quae falso indossamento transmissae sunt, post
acceptationem solvit, solutione illa liberari videtur.

XV.

Mercator, qui rem vendendam alteri per epistolam
obtulit, tenetur simulatque hic vel literis vel alio facto
consensum manifestaverit.

XVI.

Non faciendum est cum iis, qui transactionem in
rebus mercatoriis testibus probari posse, contendunt.

XVII.

Durum et idonea ratione destitutum esse mihi videtur praeceptum in art. 855, § 2, *Cod. de Ordine procedendi in causis civilibus*, quo negatur inopibus peregrinis jus processus gratuitii, quod dicitur.

XVIII.

Non faciendum est cum ROUSSEAU, contendente artes doctrinasque moribus nocere.

XIX.

Recte existimavit IUSTINIANUS ad naturam emtionis venditionis pertinere, ut pretium consistat in pecunia numerata.

XX.

Qui ab altero rogatus eum occidit, non est socius mortis voluntariae, sed caedem in volentem committit et jure nostro puniendus est.
